UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1732. usque ad annum 1734

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1785

VD18 90119339

§. 46. Ferrariensis tumultus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-67683

Visual Library

Sæc. XVIII, A. C. 1734.

deinceps ejuſmodi tumultus concitarentur. Sic tandem Hildeſienſes Lutherani inſatiabilem Catholici cruoris ſitim, atque immodicum ſectæ ardorem reſtinguebant, luculento tolerantiæ ab ipſis adeo decantatæ, ſi ſuperis placet, monumento.

§. XLVI.

Ferrarienſis tumultus.

Quamvis fervente bello Italico Clemens XII. totus in eo eſſet, ut nullius Belligerantis Principis partes ſingulariter adoptare videretur, tamen Hiſpanis Gallisque magis quam Cæſari addictum foveret animum, ſuſpicionem haud declinare potest, quod his intra ditiones Pontificias annonam, aliaque belli ſubſidia, quamvis potius majoris mali metu, quam animi affectu, ſuppeditaſſet, & Cardinali Cienfuegos petitam frumenti pro Cæſareis coemendi facultatem denegaſſet. Augebatur inſuper haud parum ſiniſtri erga Cæſarem animi ſuſpicio ex gravi tumultu in Ferrarienſi ditione exorto. Res ita accidit: Cæſarei milites ſæpius in hunc Ducatum irruperunt, varia ad victum & equorum pabulum neceſſaria inde deportaturi. Hæc ubi reſciverat Papæ Legatus

tus, Cæſareos Belliduces queſtum adibat, & haſce infeſtas excurſiones præpediri rogabat, Pontifex quoque Viennenſi ſuo Nuntio injunxit, ut Cæſarem pariter ad arcendos hoſce pabulatores induceret. Verum Belliduces Ferrarienſi Legato in reſponſis dabant, hæc nec ſine eorum mandato, nec ſine legitima cauſſa fieri; talionis juri locum eſſe, eoquod Guido Marchio Bentivolius a militibus transfugis arma & equos emiſſet, ac, etſi requiſitus, ea Cæſareis non reſtituiſſet: non ergo ejusmodi graſſationes eſſe prohibendas, niſi prius Marchio pro numerata pecunia equos reddidiſſet. Detecta itaque hujus diſſenſionis cauſſa Legatus Marchioni præcepit, ut Belliducum poſtulatis quantocius ſatisfaceret, eo autem reſtitutionem pertinaciter recuſante Legatus hos equos in Marchionis villa detineri edoctus, mox illuc centum Sbirros contendere, equosque vi abduci juſſit: Aſt Marchio, quid conſilii agitaretur, tempeſtive ſubodoratus, omnibus ſuis ſubditis injunxit, ut in adventantes Sbirros juncta vi irruerent, eosque fœde mulctatos abigerent: Atrox igitur ac pertinax initur certamen, & Sbirri deſideratis ſuorum novem, multisque fauciis retrocedere coacti ſunt. Cecidere quoque ex Mar-

Sæc. XVIII. A. C. 1734.

Sæc. XVIII. A. C. 1734.

chionis ſubditis ſex, pluribus graviter vulneratis. Hæc ubi intellexerat Legatus, totam rei ſeriem ad Papam & Cæſareos Belliduces perſcripſit; qui circa Cæſarei aliquot equitum centurias ad Marchionis villam ablegant, haud proſpero tamen ſucceſſu; Marchionis enim ſubditi Cæſareos in[credi]bili furore adoriuntur, & profli[gant, utr]inque multo ſanguine pedem referre compellunt: ubi vero Pontificis quoque copiæ in factioſos ruere parant, & Clemens Papa Marchionem, qui Venetias profugerat, ad ſaniora reducere molitur, hic tandem abjecta ſua pertinacia in obſequium rediit, & plenam ſatisfactionem præſtitit, viciſſim Belliduces indictis ſeveriſſimis pœnis inhibuere, ne quis deinceps in Pontificias ditiones hoſtiliter penetrare præſumeret: Hac ratione demum pristina inter Pontificiam atque Imperialem aulam concordia eſt reſtituta, & Clemens Papa rem tam provide egit, ut Cæſarei nullam querulandi anſam imposterum haberent.

§. XLVII.

Varii libri a S. Inquiſitione Romana proſcripti.

Cum